

www.e-rara.ch

... De phthisi positiones

Beutel, Johannes

Basileae, [1616]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-18091>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DIVINO FAVENTE NUMINE
H A S
DE PHTHISI
POSITIONES

Ex Amplissimi Gratosissimiq;
Collegii Medici, Academiae ce-
leberrimae Basiliensis decre-
to atq; auctoritate

*Pro summis honoribus & privilegiis Do-
ctoralibus in arte Asclepiadea
consequendis*

publicè ventilandas pro-
ponit

IOANNES BEUTEL
Ambergensis

Ad diem 9. Octobr. Anno 1616.

Horis locq; consuetis.



BASILEÆ,
Typis JOH. JACOBI GENATHII,
Acad. Typographi.



Catalog

VIRIS
AMPLISS. PRUDENTISSIMIS,
MULTOQ. RERVM VSV
Præstantissimis,

DOMINIS CONSVLIBVS,
TOTIQ. SENATVI CELE-
BERRIMÆ CIVITATIS
AMBERGENSIS,
Patronis atq; Promotoribus suis nullo non gra-
titudinis & observantiæ studio
colendissimis:

Nec non
CLARISS. ATQ. EXCELLENTISSIMIS
VIRIS,

DN. IOANNI INGOLSTETTERO
Philosophiæ & Medicinæ Doctori celeberrimo,
Illustri. & Serenissimi Principis DN. CHRIS-
TIANI Anhaltini &c. *δεξιτέρῳ*
felicissimo:

&

DN. IOANNI ROSÆ, Philosophiæ &
Medicinæ Doctori Præstantissimo, & Reipub.
Ambergensis Medico-Physico
ordinario:

*Dominis & fautoribus suis observantia & bene-
volentia ergò*

HOC SVVM INAUGVRALE CERTAMEN
in Asclepiadum castris certatum

L. M. Q.

Dedicat, offert, consecrat

IOANNES BEUTEL Ambergensis.



DE PHTHISI.

THESIS I.

INTER affectus, qui in humanū corpus tyrannidem suam exercent: quique cognitione præcæteris digni sunt, haud postremum obtinere locum PHTHISIS videtur.

2. Frequenter enim generatur: diū durat: totum consumit corpus: & agrè curationem admittit.

3. Itaque, haud inutile erit, illius tractationem suscipere: ejusque, & nomina, & definitionem, & genus, & subiectum, & differentias, & causas efficientes, & signa tum diagnostica, tum prognostica, & curationem disputandi gratiā paucis proponere.

4. Nomen quod spectat, est illud unum ex numero eorum, quæ Logici πολύσημα καὶ πᾶσι χῶς λεγόμενα vocant.

5. Quare illius significationes prius explicandæ, quàm ad alia accedatur. Indistincta enim confusionem pariunt: confusio autem errorem introducit.

6. Sunt autem duæ potissimum Φθώσις significationes: quemadmodum ex com. 10. sect. 3. aph. com. 2. in l. 1. Epidem. t. 13. & ex definition. medic. colligimus. Una generalissima: quando pro quacunque corporis consumptione, seu extenuatione sumitur. Altera specialissima: cum pro illa solum macie accipitur, quæ ulcus pulmonum sequitur.

7. Prioris sapius meminit Hippocrates: & duplicem constituere videtur: universalem scilicet, & particularem.

8. Universalis tabis exemplum habemus in Hæctica, à quacunque, etiam causa sit profecta: sive sit πᾶσι θῶσις, sive

ὕπεροφθής: siue cum putredine conjuncta sit: siue ejusdem
 expers. Hinc Φθίσις νεφελῆς, tabes renalis: quæ auctore
 Hipp. l. de intern. affect. ulcus & suppuratorem renum, ob
 ruptas in iis venulas sequitur. Hinc Φθίσις νωλῆς, tabes
 dorsalis: quæ eodem l. 2. de Morbis teste, νεογάμοις καὶ φίλοις
 λάγνοις, h. e. novis sponsis, Veneriq; deditis, ob immoderas
 tam seminis profusionem, accidit. Particularis in tabe
 oculorum: quam author definit medicinali dicit esse dimi-
 nutionem pupillæ cum visus obscuritate: & Galenus com.
 16. sect. 3. aphorif. ait, per eam oculos extenuari, & sicciores
 reddi: quod humores exiccentur, ipsaq; pupilla angustior
 evadat. Item in tabe femorum: de qua Hipp. aph. uli. sect. 6.
 Deniq; in cujuscunq; membri colliquatione & ἀρεοφία:
 quam idem Galenus l. de morb. diff. cap. 9. ponit, quæq; fre-
 quenter artuum fracturas & luxationes perperam curas
 eas comitari consuevit.

9. Posterioris, Hippocrates tum alibi: tum potissimum lib.
 de loc. in homine, de intern. affect. l. 2. de morbis. aph. 11. 12. 14.
 & 15. sect. 5. nec non aph. 16. & 78. sect. 7. mentionem facit.

10. Cornelius Celsus Gnidias sequutus Medicos, quos
 Gal. comm. 1. in lib. Hipp. de victu acut. t. 8. citat, itidem valde
 latè nomen Φθίσεως sumens, tres illius species l. 3. cap. 22.
 commemorat: ἀρεοφίαν: καχεξίαν: & Φθίσην propriè ac spe-
 cificè sic vocatam.

11. Quibus Avicenna lib. 3. fen 10. tract. 4. c. 18. quartam
 annumerat: ex aliorum tamen potius, quam sua opinione.
 Est autem affectus, ut idem ibidem explicat, asthmatis simi-
 lis: à crassis viscosisq; humoribus bronchiis pulmonum im-
 pactis ortus: febris vacans: & dyspnœam tuissimam asiduam,
 totiusq; corporis infirmitatem introducens.

12. Sed sciendum, nos hoc tempore de illa solum phthisi
 agere, quæ vera est ac legitima: quæq; pulmonum ulceris
 comes est.

13. Habet autem appellationes varias tam apud Græcos, quam apud Latinos.

14. Græci & præsertim Athenienses eam $\phi\theta\lambda\omega$ nuncupant: Hippocrates $\phi\theta\omega$, autore Galeno com. 16. aph. sect. 7. nempe $\alpha\pi\theta\epsilon\omega$ & $\phi\theta\iota\epsilon\omega$, quod diminui, consumi, deficere & tas bescere significat: velut idem in definit. medicin. monet, $\phi\theta\iota\epsilon\omega$ quippe & $\alpha\upsilon\chi\epsilon\delta\omega$ inter se opponuntur: Vel $\alpha\pi\theta\epsilon\omega$ & $\phi\theta\iota\epsilon\omega$, η $\phi\theta\iota\epsilon\omega$: quæ verba, corrumpere, labefactare, perdere, & interimere sonant.

15. Hinc tabidi, qui scilicet tabi sunt opportuni, $\phi\theta\omega\delta\epsilon\omega$ vocantur, eodem Gal. com. 1. in 1. Epidem. t. 18. teste. Quamquam non illi solum $\phi\theta\omega\delta\epsilon\omega$ appellentur, qui ad tabem naturæ proni sunt: verum etiam qui $\phi\theta\omega$ ipso jam actu patiuntur: quemadmodum constat ex com. 8. aphor. sect. 4.

16. Latini Græcam vocem plerumque retinent: & tunc phthisin, tunc phthoen nominant. Alias autem tabem à tas bescendo vocant: quod totum corpus consumatur & quasi liquefeat.

17. Unde rectè Germani malum hoc die Schwindesucht: item die Dörre appellant: ratione nimirum maciei, quæ tandem eò usque progreditur, ut corpus vivum veluti sceleton appareat. Haud inconvenienter etiam à parte affecta die Lungensucht nuncupant: non quod sola phthisis pulmones afficiat: sed quod phthisicos ex pulmonibus laborare compertissimum habeant: aut quod phthisis reliquos pulmonum morbos longitudine durationis, & difficultate curationis longè superet.

18. Est autem phthisis nihil aliud, quam extenuatio, seu consumptio totius corporis, cum febre lenta à pulmonis ulcere introducta: uti ex com. 16. aph. sect. 7. patet.

19. Febris hac licet lenta sit: perpetua tamen est: tanquam demum in hecticam transit.

20. Est enim pulmo cordi vicinus: suaque vasa à corde

habet. Hinc fit, ut eo ulcerato, & pure ac sanie referto, putridi halitus cordi jugiter communicentur: à quibus substantia illius ita afficitur, ut igneum calorem concipiat: ardeant spiritus: inq; corpus per arterias emissi in consimilem id intemperiem abripiant.

21. Extenuatur autē corpus, & quasi sensim liquefcit, duabus de causis: tū ratione febrilis incendii, carnosarum solidarumq; partium humidum consumentis: tū ratione imbecillitatis facultatis naturalis: quæ languente corde, & similaribus particulis intemperie laborantibus suum officium facere nequit.

22. Ex quibus facile perspicitur, ad quemnam affectum phthisis referatur.

23. Nam cū formaliter considerata extenuatio sit corporis, patet, eam ad diminutam magnitudinem: & consequenter ad morbos organicos pertinere.

24. Hæc verò diminuta magnitudo rursus ad febrim: febris ad ulcus pulmonum, tanquam ad causam suam revocatur: adeò ut hîc tria morborum genera concurrant: continui solutio, ratione ulceris: intemperies, ratione febris: & mala compositio, ratione magnitudinis diminutæ.

25. Quæ pars afficiatur, dictum fuit. Est enim primum hîc pulmo affectus: quem admodum ex laesa actione & excretis planum fieri posset.

26. Laborat quidem etiam cor & corpus reliquum: verum consecutivè saltē. Pulmo autem radix est & scaturigo malorum.

27. DIFFERENTIÆ phthiseos variae sunt & multiplices.

28. Prima enim peti potest à FORMÆ: h. e. à diminuta magnitudine conjuncta cum febre. Illa siquidem vel magis, vel minus est consumpta. Hæc autem intensior est: aut mitior, atq; remissior.

29. *Secunda à SUBIECTO primùm laborante: Pulmo siquidem vel secundùm parenchyma, vel secundùm vasa; vel secundùm utramq; partē laborat. Et rursus vel secundùm dextram tantùm: vel secundùm sinistram tantùm: vel secundùm utramq; partem: eamq; aut superiorem: aut inferiorem affligitur.*

30. *Tertia ab OCCASIONE GENERATIONIS. Hinc alia phthisis dicitur hereditaria: cujus semina à parentibus manarunt: alia ascititia seu adventitia: quæ post partum aliis ex causis obtigit. Et iterũ vel alium aliquem morbum est sequuta: v. g. Suppressionem hæmorrhoidum diũ fluere solitarum, aph. 12. sect. 6. retentionem menstruorum in mulieribus, l. 2. prorrhæ. puris collectionem in thorace, aph. 15. sect. 5. vel citra aliarum partium affectũ propriis ex causis generata est. Illa ὑπεροχῆς: hæc πρὸς ὀργάνους ἀpellari potest.*

31. *Quarta à CAUSA EFFICIENTE: cujus ratione alia phthisis à causis externis: alia ab internis est profecta.*

32. *Inter externas quidem Galen. primò commemorat com. 3. in 3. Epidem. t. 19. & t. 66. nec non in com. 1. in 1. Epid. t. 17. constitutionem austrinam: calidam videl. humidam & caliginosam: quæ cerebrum excrementitiis repletur humilitatibus: quæ ad pulmones delapsæ putrescunt eosq; erodunt: & ulcus producunt.*

33. *Deinde ea omnia, quæ vasa & substantiam pulmonum erodere queunt: idq; vel proprietate quædam occultâ: cujus modi est lepus marinus: quem præ cæteris corporis nostri partibus pulmonem exulcerare Gal. 10. simpl. cap. de sero lactis. l. de Theriaca ad Pison. c. 4. & l. 1. compos. med. x. Ἰππ. cap. 1. scribit: vel qualitate manifesta: acri scil. atq; mordace: cujus generis est acetum sæpè & copiosè sumptum: allia, cæpe, porrum: sinapi: raphani: salsa item: piperata, & vehementer aromatizata alia: quæ vel per se & immè-*
diatè

diatè erodunt: vel mediatiè: interuentu sc. humorum, quos
producunt, acrium. Adhæc medicamenta acria & exes-
centia: inter quæ non postremum obtinere locum videatur
spiritus ille Viurioli, quo multi suo in potu plus satis deles-
ctantur.

34. Tertiò quæ pungunt: contundunt: rumpunt: Pungunt autem quæ sunt acuta: ut hasta: ensis: pugio. Contundunt, quæ dura & gravia, ut lapis: lignum: metallum. Rumpunt, quæ validè intendunt: ut vociferatio magna: violenta spiritus cohibitio valida tubarum inflatio: tussis & vomitio foris: gestatio & levatio oneris gravioris: cursus velox: saltus vehemens: equitatio dura, & concutiens: lucta acris & severa quemadmodum partim ex cap. 2. l. 5. meth. partim ex cap. ult. lib. 4. de loc. affect. constat.

35. Rumpentibus causis Hippocrates l. 6. Epid. & aphor. 24. sect. 5. etiam intensum frigus annumerat. Hoc enim $\rho\upsilon\pi\lambda\iota\sigma\tau\epsilon\varsigma\ \phi\lambda\epsilon\beta\omega\nu$ appellat. Sed Galen. aut loco ult. citato frigus per se rupturas non facere: verùm per accidens saltè: quatenus nimirum nervorum tunicas indurat, & ad extensionem difficiles reddit. Tum enim distendente aliquâ causâ internâ faciliè rumpuntur.

36. Inter Internas causas Galenus primas tribuit destillationibus capitis, com. 3. in 3. Epidem. 1. 32. tanquam iis, quæ frequentissimè tabem generant. Easdem etiâ diuinus Hippocrates lib. de Gland. ponit. Sunt autem vel per se jam corrosivæ, ut Avicenna lib. 3. Fen. 10. t. 4. cap. 19. monet: quales sunt acres & salsæ: vel non quidem actuales: ad pulmones autem delatæ progressu temporis acrimoniâ, putredinis ratione, acquirunt: sicuti Hippocrates loco allegato docet.

37. Galenus com. 1. in 1. Epid. 1. 17. fluxiones etiam aliunde quàm à capite factas admittit.

38. Ibidem inter internas tabis causas affectus quoque ipsiusmet pulmonis recenset: & potissimum rupturam vasorum.

forum. Inquit enim, duas maximas tabis esse differentias:
Unam, quæ proficiscitur ex defluxu humorum à capite:
Alteram, quæ ex pulmonum affectibus, & potissimum ex
vasorum ruptione originem trahit.

39. Hanc vasorum rupturam repetit l. 2. de prasag. ex
puls. c. 1. & l. 8. de decretis Hippocr. ac Platon. c. 4. dicitq; per
eam extravasari sanguinem: putrescere: acrimoniam con-
cipere, & tenellam pulmonum substantiam exedere.

40. Eam verò præter externas modò commemoratas
causas, etiam internæ creant: in primis plethora, com. 3. aph.
sect. 1. eaq; aut ex liberaliore victu: aut consuetæ alicujus
solennisq; vacationis sanguinea suppressione nata. Ad
hæc humor acris & mordax, vel in vasis pulmonum con-
sensus: vel aliundè ad ipsos delatus: qualis est bilis, pituita
falsa, serum acre. Deniq; pus erodens: cujusmodi post
pleuritidem, anginã, & peripneumoniam non raro in tho-
racis cavitate colligitur: quemadmodum apparet ex aph.
8. & 10. sect. 5. Hoc enim nisi intra dies 40. creatum expurgetur,
tabem gignere Hipp. aph. 15. ejusdem sectionis asseverat.

41. Accedamus ad signa Diagnostica, quæ affectum
nobis patefaciant: certiq; demonstrent hominem phthisi
laborare.

42. Habet autem incipiens phthisis, signa pauciora ob-
scurioraq;: aucta, plura & manifestiora: confirmata &
morti vicina, plurima atq; clarissima.

43. Possunt verò omnia reduci ad actiones lesas: excre-
ta: & quædam accidentia corporis, siue qualitates mutatas.

44. Actiones, quæ leduntur, pertinent partim ad tho-
racem, & viscera in eo contenta: cor scilicet atq; pulmonem:
partim ad membra alia.

45. Etenim pectoris sentitur gravitas & angustia: Hip-
pocr. l. de intern. affect. crebra urget spirandi necessitas: l. de
loc. in hom. præsertim quando tabidis sese moverunt aut

acclivis loca conscenderunt : frequens tussis molesta est : Hipp. ibid. corpus universum languet : l. de inter. aff. pulsus est parvus : debilis : mollis : modicè celer & hecticus. Gal. l. de pul. ad tyron. & lib. 4. de caus. puls. c. 2.

46. Excreta quod attinet, docet Experientia, incipiente ulcere sanguinem sine doloris sensu expui : augescente verò & sordescente, materiam per tussim rejici purulentā : quæ si in aquam & præcipuè marinam projiciatur, fumum petat : Hippoc. in coacis : sin prunis imponatur, færeat : aph. 2. sect. 5. Eadem experientia testatur, malo in extremis existente, putres pulmonum portiones per tussim ejici : Gal. l. 4. de locis affect. ult. phthisicos frequenter sudare : pollutiones pati nocturnas : Aristoteles sect. 5. probl. 31. aliquando corripit diarrhœā : Hipp. aph. 12. & 14. sect. 5. deniq. pediculis abundare : Alexand. Aphrodis. sect. 2. problem. 30.

47. Accidentia, quæ tabidis superveniunt, sunt corporis macies : pedibus tamen exceptis : qui intumescunt : Hippocr. l. de intern. affect. & Avicenna l. 3. fen. 10. tract. 4. c. 22. calor febrilis, lentus tamen : cujus nulla quidem intermissio : at exacerbatio noctu major quàm interdiu : capillorum defluvium : Avicenna ibid. & Hipp. 11. & 12. sect. 5. incurvatio seu contractio unguium : Hippocr. l. de inter. affect. & Gal. 1. loc. affect. c. 5. malarum color lividus seu plumbeus : Avicenna ibid. præterquàm à cibo. Eo namq. tempore rubent : graveolentia halitus. Gal. l. de caus. morb. cap. 7. ait phthoen totius corporis naturalem figuram immutare : dicuntq. in tabidis apparere nares acutas : collapsa tempora : oculos concavos : & circa scapulas ac brachia veluti quasdam alas.

Sequuntur Prognostica.

48. Sciendum autem, perdifficilem, imò desperatam ferè tabis esse curam : quando est inveterata & hereditaria acquisita.

49. At cum est recens & ex ruptura alicujus vasis nata spes salutis superest: Galeno & Avicennâ testibus.

50. Cause, cur tabes adeo difficilis sit curationis, variae sunt, quas Galenus l. 5. meth. med. c. 8. exprimit: 1. est, quia pulmo in perpetuo versatur motu. Atqui ulcera ad sui consolidationem quietem postulant. 2. Quia puris & sordium evacuatio, sine qua impossibile est ulcus curare, difficilis est, & periculosa. Difficilis quidem, quoniam per superiora, non per declivia loca fit. Periculosa autem, quia non nisi per tussim praestari valet, quâ ulcus pulmonum magis laceratur. 3. Quia remedia opportuna aegrè admodum & non nisi in parva quantitate ad ulcus perveniunt.

51. Duas priores rationes etiam Alexander Aphrodisi. habet problem. 17. sect. 2. Avicenna omnes l. 3. fen. 10. sr. 4. c. 18. sed iis adjicit sequentes. 1. Quia pulmo est pars spermatica. 2. Quia indicationes sunt contrariae. Febris indicat humectationem: ulcus siccationem postulat. 3. Quia tussis dolorem infert: dolor novam materiam accersit. 4. Quia exsiccantia, quae ab ulcere indicantur, sputum impediunt. 5. Quia vasa pulmonum propter motum, amplitudinē & duritiem difficulter conglutinantur. 6. Quia antequam remedia ad locum pertingant affectū, jam illorum virtus laefactata, ob distantiam loci patientis. 7. Quia omnia penè remedia videntur esse inepta. Nam frigida tarda sunt, non penetrant: Calida febrim augent, quae tabis comes: Siccantia hecticam fovent: Humectantia ulceris sanationi obsunt. Ulcerum siquidem curatio exsiccatio est: illorum potissimum, ad quae tum à supernis, tum ab infernis partibus fluxiones feruntur.

52. Hisce rationibus etiam humiditatem pulmonis adde-
dere licet: quae vel nativa est, ratione sanguinis copiosi, vel adventitia, ratione humorum à cerebro destillantium.

53. Has ob causas Hipp. lib. de Glandul. & lib. de intern.

affect. phthificos non facile evadere scribit. Et Galenus in
introduc. ait, tabis salutem esse difficilem, aut nullam.

54. Tabes autumnopotissimum fieri solet. aph. 22. sect. 3.

55. Tabes adolescentibus potissimum contingit. aph. 29.
sect. 3. & aphor. 9. sect. 5. nec non in prædict. Coacis. Item iis,
qui in juventute sunt constituti. Unde Hipp. aph. 9. sect. 5.
tabes iis maxime fit et atibus, quæ sunt à decimo-octavo
anno usq. ad trigessimum-quintum.

56. Qui tabe vexantur, si sputum, quod extussum,
carbonibus injectum olet graviter, & capilli desuunt, signum
est perniciosum. aph. 2. sect. & in prædict. Coacis.

57. Quibus per tabem capilli desuunt, iis fluxione alvi
superveniente in propinquo mors est. aph. 12. sect. 5.

58. Si tabe detento alvi profluvium superveniat, per-
niciosum. aph. 14. sect. 5.

59. A puris sputo phthisis & fluxio: cum verò sputum
retentum fuerit, moriuntur. aph. 16. sect. 7.

60. Diuturnas curanti hæmorrhoidas, nisi una quæpiã
servetur, periculum aquæ intercutis: vel tabis impendit.
aph. 12. f. 6.

61. Tabi opportuni sunt, qui adeò angusto restrictoq.
sunt thorace, ut sicut Hipp. l. 3. Epidem. sect. 3. loquitur, scas
pula à tergo in morem alarum promineant. Unde etiã hos
ἄσπυράδεις, alatos vocat. Præterea quibus caput facile
impletur: quodq. instrumentis respiratoriis multas immit-
tit destillationes, hi facile tabescunt. Quòd siumbo coëant
in unum, & thoracis dicta figura, & capitis imbecillitas,
tùm ejusmodi naturæ ambabus de causis phthisi obnoxie
sunt. Gal. com. 1. in 1. Epidem. t. 18. Avicenna præter pectus
angustum: caput debile: & scapulas alarum more promi-
nentes, collum oblongum & ad anteriora inclinans addit.
l. 3. fem. 10. tract. 4. cap. 20.

62. Conservatio eorum, qui tabe sunt correpti, nequas
quam

quam secura est: & maximè illorum, qui putridum quid expirant, adeò ut domus, quas inhabitant, fetidum exhaslent odorem. Gal. l. 1. diff. febr. cap. 20.

63. Qui tabem habent congenitam, h. e. hereditariam, agrè liberantur. Hipp. l. 2. prorrheticor.

64. Virgines ac mulieres, quibus ex menstruorum suppressione tabes oborta est, minimè convalescunt. Si verò aliqua harum evasura est: tum alia bona, eaq; multa signa accedere oportet: tum menses splendide & purè apparere. Hippocrates ibidem.

65. In tabescentibus sputa suppressa mentem ad garrriendas nugas commovent. Hipp. in Coacis.

66. Tabes periculosissima sunt, à ruptione magnorum vasorum & à defluxu capitis. Ibidem.

67. Pruriginosa corpora post alvum suppressam in tabidis mala sunt. Ibidem.

68. In tabidis fluxiones cum febre ad gingivas & dentes mala.

69. Præcordia in tumorem elevata in omnibus mala sunt: in tabidis autem pessima. Ibidem.

70. Ex his, qui diutina tabe perniciosè consumpti sunt, aliqui ante finem rigore apprehenduntur.

71. Difficulter spirantes ex putredine, multa cruda eductes in tabe, perniciosè laborant.

72. Tabe affecti, si putridas pulmonum portiones expuunt, omnes moriuntur. Gal. l. 4. loc. affect. cap. ult.

73. Superest CURATIO: in qua diligenter cōsiderandum, num phthisis adhuc cum sua causa conjuncta sit: an verò causa defierit?

74. Loquimur autem de causa solùm interna. Nam ab externa nullæ indicationes sumuntur. Gal. l. 4. meth. c. 3.

75. Itaq; causa adhuc persistente, omnium primùm in id incumbendum, ut tollatur.

76. Quod si ergò tabes ex acri salsaq; cerebri destillas-
tione ortum traxerit, indicatio oritur cerebrum exiccand-
di, evacuandiq;, tum in genere per purgationes universas
les, quæ reliquum quoq; corpus respiciant: tum in specie per
errhina & apophlegmatismos, uti magni nominis Vir
D. D. CASPARVS BAVHINVS, Basiliensium Archias-
ter Doctissimus, Præceptor meus omnibus modis æternum
colendus, cap. 41. varios apophlegmatismos cap. 43. variaq;
errhina in libro de compositione medicamentorum præscri-
bit. Fluxu invalescente, & immodicè ad pulmones ruente,
revellendum, derivandum, ex alto trahendum, incrassan-
dum, cohibendumq; deniq;, ne nova augeatur materia, al-
terandum corroborandumq;.

77. Si plethora malo occasionem præbuit, datur indica-
tio plenitudinē minuendi: id quod omnium promptissimè
per venasectionem perfici potest.

78. Si suppressio hæmorrhoidum, aut retentio menstruor-
um in causa fuit, curandum, ut utraq; vacuatio debitis
remediis provocetur.

79. Provocantur autem hæmorrhoides omnium tutis-
simè per hirundines, & frictiones ani cum foliis pannisve
asperioribus: item per usum Aloës: nisi quid aliud dissua-
deat: deniq; per cataplasmata, & succos aperiendi trahens-
diq; facultate præditos: qualis est ille, quem Excellētissimus
Crato parat. Excavat enim cæpam: implet ol. amygd. amas-
rum suo operculo tectâ coquit sub cineribus: succum postea
exprimit, eòq; hæmorrhoides inungit. Alii modi aperiens-
darum hæmorrhoidum, qui vel sunt phlebotomiis, vel sup-
positoriis, clysmatibus & medicamētis acris atq; erodens-
tibus nobis minimè probantur.

80. Moventur menses variis modis, pro varietate caus-
arum.

81. Nam si suppressio mensium oritur à sanguinis copia:
utile

utile erit ad demendam plenitudinem aperire venas cubi-
torum: ad sanguinem autem ad uterum trahendum poplis-
sis aut malleolorum.

82. Sin a sanguinis crassitie; aut uti plerumq. fit, à
phlegmate lento ac viscoso orificia vasorum obstruente
proficiscatur; opus erit attenuantibus, incidentibus & ape-
rientibus; tùm internis: tùm externis: corpore tamen probè
prius purgato.

83. Inter interna recensentur 1. Syrupi: ut Syr. de ar-
themisia. Syr. de duabus & s. radicibus: Syr. de calamentha:
Syr. de hyssopo: Syr. capill. Veneris: Syr. Bizantinus, &c. qui
exhiberi queunt cum aqua hyssopi, fœniculi, arthemis. ma-
tricar. puleg. nepeta, meliss. calaminth. aut cum decocto alio
quo facto, v. G. ex s. radicibus aperit. rad. aristoloch. irid.
diptami, rubie tinctoriæ, helenii &c. itè ex herbis arthemis.
matricar. meliss. nepet. puleg. hyssop. calaminth. capill. Ven-
betonica, rosmarin. major. origan. serpil. thym. bacc. laur. ser-
min. 4. calid. majora, Cinamom. croc. nuc. mosc. mac. caryos-
phyll. &c. 2. Trochisci de myrrha, qui vel cum aqua &
decocto exhibentur: vel in pill. aptantur. 3. Vina mediz-
cata ex simplicibus jam enarratis composita.

84. Inter externa ponuntur 1. Lotiones pedum, in-
fessus, sacculi & fomentationes paulò ante cõsuetum men-
struorum tempus usurpatae: Parantur autem ex simplicibus
modò expositis: Præterea ex flor. chamamel. meliloti, sala-
via, bacc. Juniper. &c. 2. Frictiones crurum & tibia-
rum cum pannis calidis. 3. Ligaturæ earundem partium
dolorifice. 4. Suffitus tùm ex dictis: tùm etiam ex cassia
lignea, storac. Cinamom. bacc. lauri, bacc. Juniperi, gals-
bano. 5. Pess.

85. Si bilis, salivæve pituita alicubi congesta, & pulmonis
bus postea communicata, ulceris causa fuit: indicatur
utrumq. humorem esse purgandum: Bilem quidem per

χολαγῶν: Pituitam verò per φλεγμᾶν γῶν: præparantis
bus tamen, si opus sit, præmissis.

86. Si empyema in thoracis cavitate post anginam, per
ripleurioniam, aut pleuritidem collectam, phihisin proz
creavit, indicatio sese offeri purulentam materiam vel per
spuita: vel per urinas: vel per alvum educendi. Diligenter
enim hic natura motus observandus: & quò illa vergat atz
tendendum. Quòd si hisce modis expurgari nequeat, ad
ἐξέχθρησιν thoracis juxta Hipp. aph. 27. sect. 6. & l. Epid.
sect. 7. accedendum.

87. Quantum attinet ad affectum ipsum, dictum fuit
in definitione tabis, adesse ulcus, febrim, & totius corporis
consumptionem. Itaq; ratione ulceris mundificandum, &
consolidandum: ratione febris refrigerandum & humes
ctandum: ratione deniq; consumptionis nutriendum, refra
ciendum & instaurandum.

88. Mundificant & detergunt ulcus plurima, cumpris
mis serum lactis caprini: ptisana hordeacea saccharo cons
dita: hydromel: syrupi expectorantes: v. g. Syr. de Glycyrrh.
syr. de hyssopo: de farfara: syr. de prassio: syr. capill. Veneris:
syr. de calamenth. & quos Excellentissimus Crato pte cæ
teris commendat: syr. de succo Veronica: & syr. de succo
scabiose: sumuntur isti syrupi vel per se: vel cum aquis pes
toralibus: vel de decoctis detergendis pulmonibus aptis
atq; idoneis: ut decoctum flor. & fruct. decocto capill. Ven.
decoct. cicer. rub. decoct. hordei: decocto caulium &c.
Eidem scopo satisfaciunt eclegmata quædam: ut Lohoch
de pulm. vulpis, de caulibus, de farfara. Præterea Conserv.
hyssopi, scabios. capill. Veneris: quæ remedia sæpè agrotan
tibus, & quidem maturè exhibenda sunt.

89. Consolidant ulcus Syr. è succo plantag. è succo porz
tulac. è rosis siccis, myrtin. de symphyt. Præterea Lohoch de
portulaca: Lohoch ex tragacanth. Item Trochisc. de terra
sigila

sigillata, de carabe: despodio cum seminib. acetos. Diacor-
rall. Galenus Conseruatos. rub. eaq. antiqua, si magis con-
glutinandum: recens autem, si magis detergendum: con-
serv. symphyt. In summa ea omnia, quæ vim adstrictoriam:
ut sunt v. G. rad. tormentill. bistort. rhabarb. torrefactum.
sem. plantagin. sem. acetos. sem. sumach, sem. malor. gras-
nat. &c. vel emplasticam, ut tragacanth. amyl. succin. bos-
lus armen. corall. lap. hematites &c. quæ in varias aptari
formulas queunt: quemadmodum apud Practicos vides
re licet.

90. Refrigerantia & humectantia, quæ quidem ore as-
sumuntur, talia esse debent, quæ ulcus quoq. aliquo modo
juvare valeant: vel detergendo in principio: vel glutin-
nando in progressu. Hujus generis cum primis est serum las-
tis: item lac ipsum: præsertim caprinum, si magis absters-
gendum: aut si magis nutriendum reficiendumq., vacci-
num. Lac siquidem ab omnibus penè authoribus summo-
perè commendatur. Nam ratione butyri humectat & nus-
trit: ratione seri detergit: ratione deniq. caseosa substans-
tia consolidat. Facile quoq. coquitur citòq. distribuitur.
Sed non nisi puro ventriculo offerendum: recens mulsum:
manè horis quinq. ante cibum: ad 3 vij. 3 viij. plus minus,
pro ratione corporis: addito, si videbitur, saccharo, aut meli-
le, ne acescat, aut in ventriculo coaguletur. Huc quoq. spe-
ctant Conseru. violar. borrag. bugloss. Julepi item ex syr.
violar. de portulaca: ex jujubis &c. cum aquis aut emul-
sionibus quibusdam parati. Deniq. balnea aquæ dulcis: &
inunctiones pectoris, aliarumq. partium ex ol. viol. aut hu-
mectionis gratiâ ex ol. amygd. dulc. & ol. lil. albor.

91. Reficiunt atq. instaurant plurima, tam ex pharmas-
centico, quàm ex dietetico fonte hausta.

92. Ex pharmaceutico quidè huc præceteris quadrant
Diamargar frigid. Diatragacanth. frig. Diarhod. Abbatis,

Diatrion *santal.* *Manus Christi cum perlis* : *Elect. resumptivum*, *Conserua cordiales modò exposita* : *cortices citri conaditi* : *Marcii panes.*

93. *Ex Dietetico verò juscula & brodiola pullorum, gallinarum, caponum, hordeata, avenata, amygdalata, pascinatella, contusa & destillantia restaurativa dicta* : *ova sorbilia, avicula in dumetis & sylvis degentes, carnes vitulinae, agninae, vervecinae, phasianae, turtures, capreoli &c.* *Ex fructibus conceduntur dactyli, ficus, amygdala, nuclei pinei, pruna Damascena, uva passa, passula Corinthiaca &c.*

94. *Potus sit aq. hordei, in qua incocta glycyrrh. passul. & ficus. Item hydromel, cui incoqui possunt detergentia pectoralia, v. g. Capill. Ven. polypod. scabios. veronic. &c. tum potissimum cum ulcus mundificatur. At cum consolidatur, potus virtutem adstrictoriam habere debet. Talis est aq. chalybeata, aurata, vel in qua mastix, sem. sumach, aut rad. tormentilla elixata. Cocta etiam aq. cum vino granator. miva cydonior. aut conseruari sar. rubr. misceri potest. Vinum oligophorum virium & ventriculi causâ concedi quoq. potest.*

95. *Aër sit siccus, minimè austrinis flatibus expositus: Talis namq. phthysicis summè perniciosus. Et Matthæus de Gradibus refert, phthysicam quendam furnariam 28. annis supervivisse, tantum ob sicci aëris inspirationem: ex quo coaleuit ulcus. Abstineatur ab ira, à cantu, & vociferatione: à spiritus cohibitione: à violento corporis motu: à medicamentis acribus: à cibis calidis, salsis, acribus, valèdèq. aromatizatis. Vitentur cura, vigilia & studia nimia, cruditates, Venus. Alvus si quotidie aperta. Quòd si sit adstrictior, arte sollicitetur.*

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

B A S I L E Æ

Excudebat

I O A N . I A C O B V S G E N A T H I V S

Notar. Publ. & Acad. Basil. Typographus:

Anno

M D C X V I .

100

B A S I L E

Engraving

JOHN JACOBUS GUNTHER

Notary Public & Attorney at Law

M D C X V I